



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 50. Vigilate & orate vt non intretis intentationem. v. 41.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 50. *Vigilate & orate vt non intretis intetationem. v. 41.*

Inueniens autem discipulos dormientes suscitatur verbo, ad audiendum & precipit excitatis vigilare, dicens: *vigilate & orate ne intretis intetationem*: vigilat tropologicè qui facit opera bona & qui sollicitè agit ne in peccata decidat, talis vigilantis exauditur oratio: & quia impossibile est humanam naturam non tentari, ideo non ait, *Vigilate & orate ne tentemini*, sed *ne intretis intetationem*, hoc est vt ait S. Hieron. ne vos tentatio superet.

DOrate qui iubet nos *vigilare & orare ne intremus intetationes*, da gratiam vt ita semper vigilem & orem, ne in laqueos diaboli vnquam incidam, sed per orationes ad te semper suspirando, & mentem eleuando inimici conatibus, ut decet Christianum, fortiter resistam, oppugnem superem tua gratia.

§. 51. *Spiritus quidem promptus est caro autem infirma. v. 41.*

Hæc duo spiritus & Caro diuersæ naturæ sunt, & causas differentes sortiuntur. nimirum iste ad superiora trahit, ista ad inferiora; iste venit in spiritus, ista ab Adam peccatore propagatur, ita non minus diuersos sortiuntur effectus, *Caro concupiscit aduersus spiritum. spiritus aduersus carnem*: spiritus Deo delectatur, caro carne. Hinc rebellio continua in homine, nisi pars vna alteram sibi deuinciat & superet, ut victoria certa in vnâ discordes conueniant. Hanc rebellionem clare videmus in hisce tribus Apostolis spiritus ferebatur eo ut erga Dominum & Magistrum suum essent, obsequentes; at superatus à carne per somnolentiam, sequebatur carnem, ita ut malum quod nolebant, agerent & bonum quod volebant, omitterent & quiescerent, dum vigilaret & angustias pateretur undique ipsorum Dominus & Magister.

NE igitur à te increpari merear, Deus meus, siue in hora mortis, siue in die Iudicij ut qui minus vigilasse spiritu, sed magis carnem secutus essem, & secure obdormiuisse somno peccati, & teporis, da obsecro gratiam, vt deinceps stem in custodia mei, & continuo vigilem, peccata præterita in memoriam reuocando, conscientia remorsus obseruando & denique per veram contritionem & confessionem tollendo.

§. 52. *Iterum secundo abiit & orauit. v. 42.*

En abiit Christus à discipulis somnolentis: sic abiit etiam & discidis